



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Thesavrvs Casvum Conscientiæ

Continens Praxim exactissimam De Censvris Ecclesiasticis, Aliisque
Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

Sayer, Gregory

Venetiis, 1627

v. De homicidio casuali.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13883

men hie, non nisi in casibus iure expressis incuratur. Peccata, magna est inter excommunicationem, & irregularitatem differentia; excommunicationem enim fertur in peruenientes Clericum ob iniuriam ipsi percusso, & ordinis Ecclesiastico illatam, hanc vero iniuria infertur etiam per ratiabitionem eius percussione, que nomine ratum habentis fuerit illata, deo que recte in d. cap. cum quis, de sentent. excomm. lib. 6. excommunicatio statuitur aduersus ratum habentem percussorem Clerico illatam; focus autem quoad irregularitatem, que in hac materia homicidij actum occisionis, vel mutilationis membri, culpa preuia contingentem, requirit, qui sane actus non contingit vere per ratiabitionem, nec vera culpa ratum habentis actum occisionis precedit, ubi obiter aduertendum est, quod ad hoc, ut excommunicatio locum habeat, requiritur quod ratiabitione illa sit expressa facta; si enim solo interiori cordis consensu ratum habuerit, excommunicatio non erit, cum excommunicatio non nisi ob actum exteriorem incuratur? Ratiabitione tamen hanc tam in materia excommunicationis, quam in homicidio eius nominis factus, est peccatum mortale, vel veniale, ratione actus mortalis, aut venialis. Nam delectatio de culpa mortali est mortale peccatum, sicut & delectatio de actu venialis culpa venialis est, ex communi Theologorum opinione, iuxta ea, que traduntur a S. Thom. 1. 2. q. 74. art. 8. & 2. 2. q. 1. art. 4. & Caiet. ibi; & in Summa verbo spectacula, & Nau. in cap. inter verba, 1. 1. q. 3. colum. 46. Con. in Cle. Si furiosus, par. 1. num. 6. de homicid. Maiol. lib. 5. c. 48. §. 6. num. 3. & alij.

De Homicidio Casuali. Cap. V.

S Y M M A R I U M.

- 1 Homicidium casuale quidnam sit.
- 2 Casuale duplex est, aliud voluntarium, aliud involuntarium, & quid vtrumque sit.
- 3 Irregularitas ex homicidio casuali proueniens, an ex peccato mortali tantum, an etiam ex veniali incuratur.
- 4 Culpa lata, lenis, & leuissima quid, & quamnam censenda.
- 5 Homicidium casuale mortale solum irregularitatem inducit.
- 6 Irregularitas grauior pena est, quam excommunicatio maior.
- 7 Voluntarium etiam in peccato veniali reperitur.
- 8 Homicidium casuale quando irregularitatem causet.
- 9 Dans operam rei licite, & omnem adhibens diligentiam, ne sequatur homicidium, eo secuto, non est irregularis.
- 10 Dans operam rei licite, & debitam tamen non adhibens diligentiam ne sequatur homicidium, eo secuto, sit irregularis.
- 11 Diligentia ad euitandum homicidium, & irregularitatem inde proueniens, que, & quanta esse debeat.
- 12 Dans operam reuoluntaria, aut sibi prohibita, quamuis omnem operam adhibeat, ne sequi possit homicidium, an, & quando eo secuto, irregularis sit.
- 13 Homicidium ex illicito opere quot modis sequi possit.
- 14 Dans operam rei illicita, ne irregularis sit ex homicidio inde secuto, quid requiratur.
- 15 Irregularitas per homicidium non contrahitur, quoties illud aliquo modo voluntarium non sit.
- 16 Argumentum a contrario sensu in materia irregularitatis, & censurarum quando validum.
- 17 Discrimen quodnam sit inter dantem operam rei licite, & illicita, quoad irregularitatem.

¶ In superioribus dictum sit, homicidium aut voluntarium, aut casuale, absolutis ijs omnibus, que

ad voluntarium pertinent, de casuali hoc in loco agendum est; ubi ante omnia sciendum est, Homicidium casuale esse illud, quod praterintentionem, & voluntatem occidentis coniungit, siquidem Philosopho teste 2. Phys. tex. 49. & 50. effectus casualis proficisci dicitur a causa praterintentionem agentis, que casus dicitur, Casus, unde sicut effectus casualis, & accidentalis sita causa eius casualis, & accidentalis erit; Quamuis melius causa, & effectus huiusmodi fortuitus dicitur, quam casualis, cum procedat ab agente ex proposito, & per electionem; effectus vero casualis proprie loquendo est ab agente non ex proposito, nec per electionem, ut Arist. ubi supra exposuit. Hoc vero casuale est duplex, Alterum nullo modo intentum, nec in se, nec in causa; unde nullo modo est voluntarium & consequenter sine peccato, cum peccatum esse non possit, nisi sit voluntarium, ut S. August. lib. de vera Relig. ca. 14. & lib. 1. Retract. cap. 13. & 15. & lib. 2. Questionum. q. 24. ad cap. 15. Numerorum, & refertur, & in cap. Merito, 15. quast. 1. testatur, & S. Thom. 2. 2. quast. 64. ar. 8. S. Augustinum secutus luculenter expressit, dum affirmet casualia, in quorum huiusmodi, non esse peccata: Cui consequens est, homicidium hoc casuale non producere irregularitatem, que ut communis DD. sententia docet, peccatum necessario presupponit. Alterum casuale est voluntarium, non quidem directe, sed indirecte, non enim volitum est in se neque proprie in causa, sed quodammodo, ut loquitur Caietan. 2. 2. quast. 64. ar. 8. Cuius ratio est: quia non potest esse homicidium casuale, quod inducat irregularitatem, nisi saltem sit indirecte voluntarium, & cum peccato, Hoc autem habet se, sicut effectus proueniens ab aliqua causa non proprie sumpta, sed ut remouens prohibens: unde ille, qui non remouet ea, ex quibus sequitur homicidium, si remouere debeat, erit quodammodo homicida voluntarius, & de casuali hoc modo accepto disputatur in presenti, circa quod duę precipue difficultates, que ad exactam huius rei notitiam acquirendam pertinent, explicanda sunt.

Prima Difficultas est, An irregularitas ex homicidio casuali proueniens incuratur ex peccato mortali tantum, an vero sufficiat peccatum veniale? Vrię sunt DD. de hac re sententia; nam glol. in cap. significasti, 1. in verbo, prius seuisset, de homicid. ait sufficere culpam leuissimam: qua glolite opinionem Canonice non admittunt, vniuersaliter, sed distinguunt, si enim detur opera rei licite, vel culpa & negligentia est in committendo, vel in omittendo; si in committendo, tunc dicunt etiam culpam leuissimam sufficere ad inducendam irregularitatem, quandoquidem culpa leuissima in committendo (id est, si non cogitauerit id, quod vir acutissimus cogitare potuisset) est culpa leuis, ex glol. in leg. Cornelia. ff. ad Sihan. & glo. in cap. consulisti, in verbo, Homicidij, 2. quast. 5. & Cou. de sponsa, par. 2. cap. 6. §. 3. num. 13, in omittendo autem non satis est culpa leuissima ad cauendam irregularitatem, sed requiritur leuis: est enim malus crimen, quod in facto committitur, quam quod in omissione perpetratur, ex S. Thom. 1. 2. quast. 79. art. 1. Hanc distinctionem, & doctrinam communiter tradunt Canonice, & Summiste, ut Panorm. in cap. Quisquam, nume. 3. de penit. & remiss. ubi ait culpam leuissimam in homicidio non inducere irregularitatem, intelligi in omittendo, de hoc enim loquitur capi. Quisquam, & Villadiego de Irreg. capit. de percussore, colum. 7. Angelica, verbo irregularitas, 1. num. 3. & 20. Syluest. verbo, homicidium, 2. in princip. in Regula 4. & §. 23. Tabiena, verbo, Irregularitas, 1. §. Quarto, & Irregularitas, 3. §. primo. Couat. in Clem. Si furiosus, part. 2. §. 4. nu. 9. de homicid. & Maiol. lib. 5. cap. 48. §. 3. num. 2. Alphon. Vivald. tract. de Irreg. num. 265. & num. 266. Summa Corona, tit. eod. num. 16. & 17. dans autem operam rei illicita, etiam ex negligentia leuissima irregularis est, ex opinione istorum. Quid autem Canonice per culpam latam, leuem, & leuissimam, intelligant, optime explicat Syluest. verbo, Culpa, quast. 1. & Nauar. in Man. cap. 17. nu. 178. Lata culpa est incircumspecta deuiatio ab ea diligentia, qua communiter habent homines eiusdem professionis, ut si librum tibi commodatum extra domum, aut in scamno

reliqui, & sublatus est, est enim hæc negligentia lata, eo quod homines tunc professionis hoc non fecissent, scientes ibi librum periculose locari, Leuis vero est, quam regulariter homines diligentes suæ professionis curant, & qualis est eius, qui librum aliquem in suo cubiculo ostio tamen non clauso, relinquit. Leuissima, quam homines diligentissimi intra cubiculum relinquit, quod clauis obseruauit, non tamen manu, an bene obseruatum esset, tentauit. Cum igitur ista negligentia, vel culpa, leuis, & leuissima, possint contingere sine vlla culpa mortali, aut veniali, vt constat conuenienter fateri debent isti auctores, incurri posse irregularitatem ex homicidio casuali, sine vilo peccato mortali, aut veniali, quod est absurdum quia vt dictum est, irregularitas non incurritur, quin sit aliquis consensus in homicidium ratione cuius peccatum sit mortale, aut veniale, vnde reiecta hæc Canonistarum & Summarum opinio, inter Theologos qui res omnes ex solidis, & firmis principijs, & rationibus colligunt, duæ alie sunt sententiæ, quarum.

Vna est, afferentium incurri ex peccato veniali, sic Caiet. 2. 2. quæst. 64. art. 8. & verbo, irregularitas, Conradus. 1. 2. q. 73. art. 8. Petrus de Arragona. 2. 2. q. 64. art. 8. Cordubæ, in Summa, quæst. 37. & Toletus in Summa instruc. Sacerd. lib. 1. cap. 29. Notab. 1. tum quia excommunicatio minor est maior pœna quam sit Irregularitas; & excommunicatio vero minor ex solo peccato veniali incurritur, ergo & irregularitas, tum, quia satis est vt ex homicidio contractatur irregularitas, quod sit aliquo modo voluntarium; At si quis peccat venialiter in non remouendo causam, homicidium illud secutum est aliquo modo voluntarium, quia alioquin non esset peccatum veniale; cum peccatum veniale eo ipso quod sit peccatum, est voluntarium; Et hanc sententiam colligunt aliqui recentiores in scriptis suis, ex c. continebatur, cap. ad audientiam, & cap. Tuis nos, & cap. sicut ex literarum, de homicid.

Alteræ, quæ & communior & verior est, docet incurri tantum ex peccato mortali, sic Sotus lib. 5. de iustit. qu. 1. art. 9. in fine. Nauar. in Man. cap. 27. no. 252. vers. octauo dicto. Frat. Michael Salon in 2. 2. quæst. 64. art. 8. Controversia 3. in fine, & Henriquez lib. 1. 4. cap. 3. §. 1. & cap. 15. §. 1. & §. 7. in fine Francisc. Suarez in q. 71. art. 4. S. Thomas part. 3. disp. 31. sect. 6. dub. 6. & Petrus Nauar. lib. 2. de restitut. cap. 1. dub. 6. Coroll. 2. num. 69. Gregorius de Valentia, tomo 4. Disp. 7. qu. 19. Puncto 3. §. 5. & Ioannes Chapeanillus de casibus reseruat. ca. 10. casu 10. quæst. 1. in fine, & probatur; quia irregularitas ex culpa contracta, cui sit pœna grauis priuans vsu, & susceptione ordinum, non nisi ob culpam grauem & mortalem imponenda est. Deinde, vt notant Panorm. in cap. pastoralis. §. verum, num. 15. de appellat. & Nauar. vbi supra, irregularitas semper præsupponit contemptum, contemptus autem semper est peccatum mortale. Præterea, irregularitas non est imponenda nisi exp. esse habeatur in iure, cap. is, qui, de sentent. excommuni. lib. 6. nullibi autem in iure imponitur irregularitas ob culpam contracta, nisi pro culpa graui, vt pro celebratione in excommunicatione, & similibus, & semper dicitur homicidium illud esse culpabile, ex quo incurritur irregularitas, quod vt ait Sotus, intelligitur, culpabile mortaliter, non enim solent leges punire actus leues, & imperfectos, culpa vero venialis est leuis, & imperfecta in genere culpæ, & peccati, deoque verisimile non est tam grauem pœnam, qualis est irregularitas, pro veniali culpa imponi à iure, cum pœna proportionata debeat esse culpa.

Neque valent rationes pro contraria sententia; Quærit enim excommunicatio minor priuare receptione Sacramentorum omnium quæ non priuatur irregularitas, quia tamen irregularitas priuatur actiua & collatiua potestate, nec non omni vsu & exercitio ordinum, & etiam receptione beneficij, censetur pœna grauior, quam excommunicatio minor. Præterquam quod excommunicatio minor facile soluitur, multique ab ea absolueri possunt irregularitas vero difficilius soluitur, & vt plurimum à solo Papa; Immo Sotus, 4. dist. 1. quæst. 5. artic. 8. Conclus. 8. in fine, ait irregu-

laritatem grauiorem esse, quam sit excommunicatio maior, sed vt recte notat Henriquez lib. 1. 3. c. 1. §. 3. in antea lib. 1. R. & lib. 1. cap. 3. §. 1. in annotationibus in hoc deceptus est.

Ad alterum Respondetur, quod licet in peccato veniali repetiatur voluntarium, hoc tamen adeo leue, & imperiosum est, tam in genere voluntarij, quam in genere culpæ, vt pro tali voluntario, pœna tam grauis, qualis est irregularitas, non sit imponenda. Et in locis citatis semper præsupponitur culpa & negligentia mortalis, vt legem textum illos manifestum esse poterit: nam Clericus ille, de quo in cap. continebatur, peccauit mortaliter, ludendo cum laicis, ioco satis indecenti, vt pater. Et presbiter ille, verberando famulum indistincte cum cingulo, non remouendo cultellam, non erat immunitus a peccato mortali, vt in d. capit. ad audientiam, iuncta glossa ibi, in verbo, corrigere, habetur. Et monachus ille chirurgiam exercens, de quo in cap. Tuis nos, multum deliquit, id est, mortaliter, exercendo alienum officium, & maxime tam periculosum, quale erat apertio tumoris in gutture; Sicut etiam monachus ille carnalis sensus, de quo in cap. sicut ex literarum, merito sit, mortaliter deliquit, mulierem pregnantem cum qua contraxerat consuetudinem in honestam, abortiri faciens ex eo quod per zonam illam arripere, dum inhoneste cum ipsa iudicaret velle.

Secunda Difficultas est; Quando incurritur irregularitas ex homicidio casuali? In hac re obseruanda sunt tres Regule, quarum duæ priores pertinent ad homicidium casuale proueniens ex opere licito tertia vero ad idem spectat, quando datur opera rei illicitæ, & colliguntur ex S. Thom. 2. 2. quæst. 64. art. 8. Caiet. ibidem & Soto lib. 4. de iustit. quæst. 1. artic. 9. Summa Alensi par. 2. lib. 6. tit. 14. art. 6. Sylu. verbo Homicidium, 2. in princip. Tabiena, verbo irregularitas, 3. §. primus, Couarr. in Clem. Si furiosus, par. 1. §. 4. num. 1. & seq. de homicid. Frat. Mich. Salon in 2. 2. q. 64. art. 8. Controversia 3. & Henriquez lib. 1. 4. cap. 15. §. 1. S. Anton. 3. par. tit. 29. cap. 2. §. Homicidium casuale, & gl. in cap. sicut dignum §. Clericos, in verbo, consilium, de homicid. & gl. in c. De his, dist. 50.

Prima est. Quando quis dat operam rei licitæ, & adhibet omnem diligentiam quam adhibere, debet, ne sequatur homicidium, irregularis est, si homicidium sequatur, & colligitur ex cap. Lator, cap. Dilectus filius, cap. ex literarum, cap. significasti, 1. cap. Ioannes, & cap. fina, de homicid. & cap. si quis, cap. Sape, & cap. si duo fratres, dist. 50. Ratio est; quia tale homicidium est omnino inuoluntarium, & sine vlla culpa.

Secunda est. Qui dat operam rei licitæ, non tamen omnem curam adhibere, quam adhibere debet, ne sequatur homicidium, irregularis est, si homicidium sequatur, & colligitur ex cap. presbiterum, & cap. ad audientiam, de homicid. nam vt voluntarium sit indirecte, satis est quod omiserit id, quod tenebatur non omisisse, & consequenter peccat mortaliter, ex Caiet. vbi supra, art. 8. vers. Ad proprias autem conditiones.

Circa quas duas Regulas aduertendum est, vt ait Caiet. non ita intelligendas esse, quod requiratur Summa & exactissima diligentia qualem adhibuisset vir diligentissimus, & maxime circumspectus, sed satis est, quod talem adhibuerit diligentiam, qualem considerata rei qualitate & personarum, & negotiorum, & temporis, ad viri prudentis arbitrium adhibere debuisset, l. 1. ff. de iure delib. qua sit, vt si postea appareat aliquid fuisse omisum quod diligentissimus, & perspicacissimus tantum non omisset, ob cuius omissionem secutum est homicidium, non dicitur irregularis, argum. eorum, quæ docent Panorm. in c. Questum, num. 3. de penit. & remiss. Syluest. verbo, Homicidium, 2. in princip. Regula 4. Tabiena, verbo, Irregularitas, 1. §. Quinto, & verbo, Irregularitas, 3. §. Sexto, & in his Regulis duabus consentiunt omnes DD. nec in illis aliqua difficultas esse poterit.

Tertia est. Qui dat operam rei illicitæ, vel saltem sit prohibita, etiam si adhibeat diligentiam sufficientem, ne sequatur homicidium, vel mutilatio, si tamen homicidium, aut mutilatio subsequatur, irregularis erit. Circa hæc verb

Regulam non ita consentiunt auctores; Aliqui enim existimant vniuersaliter veram esse, adeo, vt quicumque dat operam rei illicitae, si ex illo opere sequitur homicidium, quod irregularis sit, & fauet S. Thom. in addit. 3. par. quest. 39. art. 4. ad 3. & 1. 2. quest. 73. art. 8. & 2. 2. quest. 64. art. 8. Quibus in locis statuere videtur hanc Regulam generalem, Quod qui dat operam rei illicitae, est irregularis, si sequatur homicidium, quam etiam colligunt Iurisperiti ex cap. Dilectus filius, & cap. Ex literis, 2. de homicid. a contrario sensu. Ibi enim Innocentius Papa III. definit quosdam casus non imputari ad irregularitatem, quia in illis dabatur opera rei licitae; ergo colligunt isti, a contrario sensu, si dabatur opera rei illicitae, imputabitur ad irregularitatem, & hanc sententiam sequuntur Syluester verbo, Homicidium, 2. in princip. Regula tertia, & quest. 1. 2. & 18. Conradus in 1. 2. quest. 73. artic. 8. Caiet. in 2. 2. quest. 64. art. 8. Cosmus Philarchus lib. 4. cap. 1. §. 7. Alphonsus Vindict. tract. de Irreg. num. 248. Summa Corona tit. eod. num. 16. & est communis inter Iuristas, & Summistas. Ratio est: Quia si is, qui dat operam rei illicitae non sit irregularis, nisi deficiat in debita diligentia, & eodem modo datur operam rei licitae non est irregularis, nisi deficiat in debita diligentia, sequetur nullum esse discrimen inter occidentem dando operam rei licitae, & occidentem dando operam rei illicitae, quod est absurdum. Alij vero docent Regulam hanc vniuersaliter, & absolute sumptam esse falsam, ad est, non sufficere ad incurrendam irregularitatem, quod sit subsecutum homicidium ex opere illicito, sed necessarium esse, quod opus illud, vel sit ex se, & sua natura inchoatum saltem probabiliter, & vt plurimum mortis, aut mutilationis; vel periculosum, aut prohibitum ex iure Divino, vel humano, adeo, vt haec necessario requirantur, nimirum, quod opus illud sit illicitum, periculosum, vel ab operante fieri prohibitum. Sic Sotus lib. 5. de iustit. quest. 1. artic. 9. Alphonsus a Castro, lib. 2. de lege poenali, cap. 14. paulo ante finem. §. Hic tamen ad moneo Socin. in cap. ad audientiam, num. 49. de homicid. Franc. in cap. vlt. de Homicid. lib. 6. Gonfalus a Villadiego, tract. de Irreg. cap. de percussore, colum. 3. Nauar. in Man. cap. 27. num. 21. vers. Tercio inferitur vbi requiritur vt sit causa propinqua sufficienter directa respectu talis effectus. Cordoba, in q. de ignorantia, quest. 26. Couar. in Clem. Si fariosus, par. 1. §. 4. nu. 10. de homicid. Barth. Medina in 1. 2. quest. 73. art. 8. Frat. Michael Salon, in 2. 2. quest. 64. art. 8. controuersia 3. Henriquez lib. 1. 4. c. 1. §. 1. & 2. Petrus Naua. lib. 2. de test. cap. 1. dub. 6. Coroll. 2. num. 69. Gregor. de Valentia tomo 2. disput. 6. quest. 3. puncto 3. & tomo 3. disput. 5. quest. 8. puncto 5. & tomo 4. disput. 7. quest. 19. puncto 3. §. 5. dub. 1. Petrus de Arragona, 2. 2. q. 64. art. 8. dub. 2. & Toler. lib. 1. instruct. Sacerd. cap. 29. vers. Secundus. Notab. 2. Quae sententia, vt communis, ita verior est, & simpliciter sequenda ad multorum scrupulos deponendos, quae vt melius intelligatur.

13. Notandum est, Homicidium duobus modis sequi posse ex opere illicito;

Primo, ex opere illicito, & prohibito, quia sit de se, & natura sua periculosum ad homicidium, vel mutilationem, sic prohibitum est Clericis mittere Bombardam ad arcem, aut sagittam, aut lanceam in exercitu, & officium Chirurgi cum incisione, vel adustione. Est quoque ipsis prohibita venatio aprorum, & visorum, & aliorum animalium, quae dentibus vnguibus, aut alio modo vitam in periculum afferre possunt. Et ita qui exercet opus hoc modo illicitum & prohibitum, quia periculosum ex se, & natura sua, vt plurimum ad homicidium vel mutilationem, quia tamenque diligentiam adhibeat secuto effectu erit irregularis. Ratio est: quia eo ipso quod tale opus exercet, quod ex se, & sua natura periculosum est ad homicidium, velle conseruet illud homicidium indirecte saltem, & quasi in sua causa, ex illa Regula, Qui causam damni dat, &c. Nec tollitur talis consensus implicitus, & indirectus per diligentiam quae adhibetur, si opus sit ex sua natura periculosum, quia diligentia nostra non mutat rerum naturas.

Alio modo sequi potest homicidium ex opere illicito,

& prohibito, non eo titulo, quia sit de se periculosum ad homicidium, sed aliunde, nimirum, vel quia non decet talem statum, vel quia est in iniuriam tertij, vel alio modo, quo modo prohibita est Clericis venatio clamorosa, & cum strepitu etiam animalium mansuetorum, quia non decet statum Clericalem; prohibetur etiam furtum, & adulterium, quia sunt in aliorum iniuriam: unde, qui exercet opus hoc modo prohibitum, dum modo non sit periculosum, si adhibet omnem prudentiam diligentiam ne mors, aut mutilatio sequatur, si fortuito sequatur, non erit irregularis. Ratio est: quia irregularitas haec non incurritur nisi ex peccato homicidij, opus autem illicitum, & non ex se ordinatum aut periculosum committens, euasi faciat opus illud, ex quo sequitur homicidium, non censetur committere peccatum homicidij, quia exercens illud nullo modo vult homicidium, nec in se, vt constat, cum non intendat illud, nec in causa sua, aut indirecte, vt patet, quia tunc dicitur quis velle homicidium in causa, quando vult opus quod habet in se periculum homicidij, aut quando ex parte operantis potuit, & debuit prohiberi, & non erat prohibitum; At vero in casu nostro, quamuis opus ex eo titulo sit illicitum, quia prohibitum, non tamen est ex se periculosum: & ex parte operantis adhibita est omnis diligentia ne accideret homicidium: unde cum homicidium hoc nullo modo voluntarium sit, nullo modo ex fortuito & casuali homicidio subsecuto incurritur irregularitas. Cum igitur irregularitas sit odium, & poena, & consequenter restringenda, dicendum est in hac materia solum actum illum dici illicitum, quantum ad irregularitatem incurrendam pertinet, qui prohibitus fuit ratione huius periculi ad mortem, vel mutilationem: adeo vt si non ratione huius periculi, sed alia ex causa prohibeatur, talis prohibitionis transgressio nullam omnino culpam homicidij facta debita diligentia habebit, quae tamen necessaria est, vt homicidium huius speciei, ad irregularitatem alicui imputetur, vt Cou. & alij DD. doct. subtiliter se scripserunt. Ex quibus, & haec nostra opinio satis explicata & comprobata est, & rationes aduersae facile soluantur, & iura omnia recte & vere explicari possunt.

14. Ad rationes in oppositum, Respondeo, tunc Regulam illam veram esse.

Primo, quando datur opera rei illicitae, ex qua communiter sequitur mors, vt si Clericus admoueret ignem machine bellicae in populi frequentia, aut arcem expugnaret, aut vacaret venationi, quae sit telis, & ferocibus armis, ex quibus operibus communiter folet mors sequi, tunc enim cum det operam rei illicitae, & periculosa: & ei prohibita: etiam si adhibeat omnem diligentiam secuta morte, imputabitur ei ad irregularitatem: ceterum, si daret operam rei illicitae, quae non erat periculosa, si adhibeat debitam diligentiam, secuta morte irregularis non erit, quia mors haec nullo modo ei voluntaria est, nec directe, nec indirecte.

Secundo, Dans operam rei illicitae, in qua directe, vel indirecte vult homicidium, est irregularis, si sequatur.

Tercio, Dans operam rei illicitae, si sit negligens in cauendo homicidio est irregularis si sequatur. Et sic intelligenda est Regula, vt vera sit, sicut etiam intelligitur S. Thomas in locis citatis. Quamuis enim videatur loqui in vniuersum de quacunque re illicita, si tamen attente consideretur solum loquitur, quando datur opera rei illicitae quae de se periculosa est, aut quando non adhibetur debita diligentia. Quia ex eodem S. Thom. irregularitas non conseruetur per homicidium, nisi sit aliquomodo directe, vel indirecte voluntarium, vbi autem opus ex se non est periculosum & alioquin adhibetur debita diligentia, homicidium subsecutum nullo modo censetur voluntarium. 15 Argumentum vero a contrario sensu, infirmum est, cum sit quasi arguere ab opposito antecedentis ad oppositum consequentis: & maxime argumentum hoc in materia irregularitatis non valet, cum haec non incurratur nisi expressimatur in iure, collectio vero a contrario sensu non est expressa iuris decisio.

Quoad textum vero citatos respondeo, clericum illum, de quo loquitur cap. Dilectus filius, excusari ab irregularitate,

ritate, tūm quia dabat operam rei licitæ; tūm, quia omnem diligentiam adhibuit, siquidem ascendit illum equū, & currebat consilio Medici & sanitatis gratia, & omnem paciter diligentiam adhibuit, ne quem in eō cursu obviam haberet, & occideret. Et Monachus ille, de quo mentio fit in capitu, ex licitis, 2. excusatur ab irregularitate, non tam quia faciebat rem licitam, quā quia non faciebat rem periculosa, deponerat enim campanam in loco, in quo non credebatur aliquem transire, existere, aut venire, vnde nihil ex his textibus pro adversa sententia colligi potest.

17 Ad rationem quam afferunt, Respondetur, discrimen maximum esse inter eum qui dat operam rei licitæ, & illum qui dat operam rei illicitæ, dans enim operam rei licitæ, ac nullo modo ei prohibita, quæcunque illa sit, modo debitam diligentiam adhibeat, excusatur ab irregularitate; Dans vero operam rei illicitæ, quicquid sit de diligentia, quam adhibet, si res illa non sit periculosa hominibus, non est irregularis, si vero sit periculosa, efficitur irregularis, ex Couarr. in Clemen. Si furiosus, par. 2. §. 4. num. 10. de homicid. Mich. Salon, 2. 2. quest. 64. art. 8. Controuersia 3.

Corollaria ex supradictis Regulis deducta. Cap. VI.

S Y M M A R I V M.

- 1 Equum ferocem equitans & omnem diligentiam adhibens si casu aliquis ab equo occidatur, clericus equitans non est irregularis.
- 2 Magister percussus discipulum, si in percussione non excedat, etiamsi exinde mors sequatur, irregularis non erit.
- 3 Pulsans campanas, aut eas tollens, si quis casu absque culpa eius occidatur, non est irregularis.
- 4 Pulsans campanas in signum quod aliquis a ministris iustitiæ occidendus sit, irregularis non est.
- 5 Lapidem ludendo mittens in aliquem, si is a lapide fugiens in alterum lapidem caput offendat, & culpa medici moriatur, irregularitatem non incurrit.
- 6 Clericus cum laico ludens, si exinde quis occidatur, irregularis efficitur.
- 7 Clericus in sacris chirurgi officium cum aduisione, vel incisione prohibendum est, & quare.
- 8 Mediens ut de morte infirmi non teneatur, quæ requirantur.
- 9 Monachi, & Clerici in sacris, artem chirurgiæ cum aduisione, vel incisione exercentes, si mors inde sequatur, quamcunque diligentiam adhibuerint, sunt irregulares.
- 10 Monachus, aut clericus artem chirurgiæ an in necessitate licitè exercere valeant, absque irregularitate.
- 11 Clericus in sacris, nec non monachis, qualiter artem chirurgiæ exercere liceat.
- 12 Medicinam, aut potionem dantes absque medici consilio, subsecuta morte, irregulares sunt.
- 13 Agonizantem infirmum zelo pietatis adductus in aliud latus vertens, secuta morte citius, quando irregularis censendus.
- 14 Sagittam a vulnerato extrahens, si mors inde citius sequatur, irregularis est.
- 15 Clericus cū femina prægnante ludens si exinde casu abortio fetus animati contingat, irregularis erit.
- 16 Clericus prægnantem ad se venire faciens, secuto abortu, quando irregularis censendus.
- 17 Clericus venationi periculose operam dans, secuta morte irregularis est, etiamsi omnem diligentiam adhibeat.

- 18 Venatio quanam clericis beneficiarijs, aut monachis prohibita sit.
- 19 Vrsum leonem, aut aliud animal indomitum incaute domini tenens, subsecuta morte alicuius, irregularis efficitur.
- 20 Parentes, & nutrices, in lecto infantes tenere prohibentur propter mortis periculum, quod exinde contingere solet.
- 21 Parentes sub excommunicationis pena infantes apud se in lecto tenere multis in locis prohibentur.
- 22 Clericus arborem alienam egdens, au si casu exinde aliquis occidatur, irregularis sit.
- 23 Monachus campanas tempore prohibito pulsans, au si casu aliquem occidat, adhibita debita diligentia, sit irregularis.
- 24 Monachus contra superioris obedientiam mercando, irregularis non est, si post debitam diligentiam aliquem casu occidatur.
- 25 Monachus Franciscanus equitando contra regulam suam peccat.
- 26 Inducens socium, ut intret vineam alienam causa furti, irregularis non est, etiamsi socius a custode vineæ occidatur.
- 27 Tectum reficiens, & inde tegulas deiciendo aliquem occidens, quando irregularis censendus.
- 28 Mittens puerum pro asportanda aqua ad fluvium secuta morte puer, irregularis efficitur.
- 29 Lapidem ludendo proiciens in aliquem, aut seipsum explodens, si is in quem lapis conijcitur, ne percutiam fugiens cadat, & moriatur, quando irregularis censetur.
- 30 Lapidem in Petrum proiciens, si Petrus alterum impingat sine dolo & alter occidatur, irregularis efficitur non Petrus, sed qui lapidem in Petrum proiecit.
- 31 Perterre faciens virum meticulousum, aut mulierem prægnantem ioco, secuta morte, vel abortu fetus animati, irregularis est.
- 32 Irregularitas ex homicidio casuali proneniens, non solum quoad ordines suscipiendos, sed etiam quoad susceptor, impedit.

EX his quæ in superioribus Regulis dicta sunt, plura inferri possunt.

- 1 Primo inferitur, non esse irregularem eum, qui equitans equum ferocem, & debitam diligentiam adhibens, si casu ille casu aliquem occidat, etiamsi Clericus fuerit qui equo illi insidet, vt colligitur ex cap. significasti, 1. & cap. dilectus filius, de homicid. Ratio est: quia dat operam rei licitæ, & absque culpa eius occisus est aliquis, maxime si crediderit equum bene duci freno, & ipse met equitare non perit Angelica, verbo, Irregul. §. 17. Summa Astensis, part. 2. libro 6. tit. 14. artic. 6. questione 10. Couarr. in Clemen. Si furiosus, par. 2. §. 4. de homicid. num. 5. versicul. posterior.
- 2 Secundo inferitur, quod Magister percussus discipulum, si non excedat in percussione, etiam si ex ea mors sublequatur, non erit irregularis. Ratio est: quia moderatè & absque culpa verberando, dat operam rei licitæ, vt patet cap. 1. & c. cum voluntate, de sent. ex comm. & cap. presbiterum, de homicid. & quia talis percussio committitur non solet esse causa homicidij. Dixi, si non excedat in percussione, quia si excedat modum, & mors inde sequitur post paucos dies, v.g. octo, vt colligitur ex cap. conturbatus, & Panor. in ca. presbiterum, de homicid. est irregularis ob culpam in excedendo modum. Et idem dicendum est de tempore longiori, dummodò reipsa constaret, vel Medicorum iudicio, mortem ex illa percussione contingere, vt Panor. in d.c. presbiterum, numero 3. Quia in hoc casu licet daret operam rei licitæ simpliciter loquendo, quia tamen non